

**De herpete seu formica veterum labis venereae non prorsus experte :  
programma, quo nonnullorum medicinae candidatorum promotiones  
indicat Decanatuque 1800 et 1801 gesto / se abdicat Phil. Gabr. Hensler.**

### **Contributors**

Hensler, Philipp Gabriel, 1733-1805.  
Royal College of Surgeons of England

### **Publication/Creation**

Kiliae : In Bibliopolio academico, typis C.F. Mohr, 1801.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/frs8vuyq>

### **Provider**

Royal College of Surgeons


### **License and attribution**


This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>





De  
Herpete seu Formica  
veterum

labis venereae non prorsus experte

---


Programma,  
quo  
nonnullorum Medicinae candidatorum  
promotiones  
indicat

Decanatuque 1800 et 1801 gesto

se abdicat

D. Phil. Gabr. Hensler

Reg. Dan. Archiater et Prof. Med. Ord. Kilon.



---

Kiliae 1801  
in bibliopolio academico  
typis C. F. Mohr.

De  
Harpete seu Formica

restrum

Tabula venarum non profus expertis

Formica in m. a.

nonnullorum Medicorum candidatum

Promotiones

Indicis

Decembris 1801 et 1802

Indicis

Indicis

Indicis



Indicis

Indicis

Indicis

---

§. I.

*Dissertationis argumentum.*

Quo quondam tempore animum ad indaganda venereae luis primordia applicui, pestiferum illum morbum, qui sub finem saeculi XV. per omnem fere Europam increbuit, quique luem hanc primitus sparsisse vulgo creditur, *Formicam* a multis huius aetatis medicis, iisque, qui de lue scripserunt, fere primis appellatam esse animaduerti (1).

Hunc vero morbum, *Formicam* medicis, *Gallicum* in vulgus dictum, plerique medici «non quidem nouum putarunt, ut vulgus opinatur, verba sunt *Wimphelingii*, sed superioribus annis tam visum, quam aegerime perpeffum.»

(1) cf. *Schellig*, qui primus, certe inter primos, pustulas malas s. *malum de Francia* *Formicam* appellat et in *Schelligii* l. *praefat. Jac. Wimphelingii*. (*Gesch. d. Lustseuche* I. p. 5. Excerpt. p. 1. 9. *Grunerus* noster *Aphrodif.* p. 40.) Alios complures infra laudabimus.

Huius itaque ipsius tum saeculi, tum anteriorum saeculorum medicos libros euolvens, Formicarum non solum mentionem saepissime factam esse vidi, sed earum etiam signa curationesque sedulo fuisse notatas. Quem etiam morbum, olim celebratum, iamiam plane incognitum, non leuem fuisse, sed admodum grauem, ex ipsa medicatione facile collegi, quippe quam multa pharmacorum farragine et vel ipsis Mercurialibus medici tentarunt. E morbi vero externa specie obscura et indefinita, quae modo ad verrucas, modo ad pustulas accedere, modo ulcerosae indolis esse videbatur, de ipsa morbi natura parum mihi constitit. Sub Formicae et Formicae miliaris nomine *Herpetem* forte *Herpetemque miliarem* latere, probabilis quidem, sed anceps fuit coniectura. Certiorem tamen me fecit *Guido de Cauliaco* (2) medicus saeculi XIV. insignis,

(2) Chirurg. magn. Tr. II. Doctr. I. cap. 3. edit. Junt. Venet. 1546. p. 13. «Pustulae malae cholericae sunt omnes, quae in sui eruptione dimittunt *erosionem ac virulentiam*, ut sunt omnes ab *Herpete* usque ad *Cancrum*. Et licet sint multae species carentes nomine, tamen sunt duae nominatae manifestae, *Herpes*, videlicet

in Arabum et Graecorum libris aequaliter  
versatus, qui quidem, quas pustulas Arabes  
Formicam dicunt, easdem Herpetes Graecis  
dici, disertè affirmat.

*Herpes* vero Graecorum illa ipsa non est  
affectio cutanea, quam hodiernum nostrates  
dicunt. Nostrates exochas cutis fere om-  
nes, siue siccae sint, siue humidae, siue ser-  
pant, siue fixae loco suo infideant, quarum-  
que adeo multa est et multigena farrago,  
has non solum omnes, sed quicquid etiam  
in cute efflorescit, cuius aut nomen aut in-  
dolem vulgus medicorum ignorant, ad Her-  
petica (Dartres, Flechten) referre se posse  
sibi videntur (3). Adeo varia iamiam  
est et inconstans Herpetici nominis signi-  
ficatio.

*Cenchrias Graece: Arabice Formica et Miliaris.*  
*Auicenna* vero omnes pustulas malas Cholericas  
vocat Formicas.» Quas cholericas dixerint,  
dein e *Galeno* explicabitur.

- (3) Egregius inter multos est *de Roussel* tract. *de*  
*Herpete* Cadomi 1779; qui recusus est in *Schle-*  
*gelii Thes. Path. Therap.* II. 1. Herpetis fari-  
nacei, squamosi, discreti fugacisque, crustati,  
miliaris, phlyctaenoidei, esthiomeni etc. variis  
speciebus subiungit omne fere agmen exanthe-  
matum a *Celso* aliisque memoratorum.



Graeci vero medici, qui quicquid sensibus obuium est, curatius plerumque distinguere aptisque nominibus insignire solent, non solum non nisi quae serpunt Herpetica appellant, verum etiam discrimen inter humidam siccisque, vel ipso *Celfo* non excepto (4), exacte satis obseruant. Sicciore quidem exochas prisca Graeci *Lichenas*, *Celsus Vitiliginem* et *Impetigines*, Arabistae *Volaticam* appellarunt, unde vernaculum nobis *Flechten*: (5) humidiores vero pustulas s. phlyctaenas proserpentes Graeci

(4) Exanthematum complura nomina *Celsus*, cuius quidem lectione lubenter et praeprimis hodieque iuuamur, subinde aut mutauit, aut ambigue atque insolenter usurpauit. In exocharum vero variarum generibus discernendis ipse tamen, quae *serpunt*, non solum sedulo indicauit, sed etiam manifestum illud inter subhumidas siccisque discrimen exacte satis obseruauit. Illae Herpetum Graecis dictorum; hae vero Lepra praenuntiae esse solent ut plurimum.

(5) Nic. *Leoniceus*, quem priscae medicinae restauratorem iure suo *Hallerus* dicit, *de morbo Gallico* (Luisini Aphrodif. p. 20): «Lichen» inquit «est morbus ille, qui latine dicitur impetigo, vulgo autem Volatica. — Quod malum Graeci *λειχηνας* vocarunt, nos latino vocabulo, docti impetiginem, vulgus Volaticam nuncupat.» Morbum vero Gallicum male *Lichenas* vocari

inprimis *Herpetes* appellarunt, Celsus aut populari nomine insigniuit (*ignis sacer*) aut ad *exanthemata* refert; Arabibus et Arabistis *Formicae* audiunt. Omnes vero *Herpetes* *Formicasque* non solum pustulas vocarunt, sed etiam, quae ex eiusmodi pustulis saepe mox nascuntur, *exulcerationes* (6).

Noster hic vero libellus, qui totus circa *Herpetes* versatur, *variā* quidem earum *indolem* ex antiquorum medicorum monumentis illustrabit; eo tamen consilio, ut in argumenti tractatione simul ad ea potissimum momenta respiciatur, e quibus coniectari possit, *labi venereae* quicquam *Herpetibus* *Formicisque* fuisse affricum.

multis comprobavit. Ad Leporam pertinere com-  
monstravi. (Gesch. d. Ausatzes. p. 49. sq.)

- (6) *Galenus* Meth. Therap. II. 2. «*Herpes* non semper ulcus est. Quoties vero cum exulceratione est, vicinas partes corripit et ritu *serpentis* animalis (*δικην έρποντος θηριου*) depascit, nomen a serpendo sortitus est: *Phagedaenae* a comedendo etiam nomen est inditum.» *Etymolog. magn.* Ερπησ εις παθος χαλεπον απο του έρπειν καθ' όλου του σωματος.

## §. II.

*Herpetum ex Hippocrate notitia.*

In genuinis (I) *Hippocratis* libris quae ad rem nostram faciunt, fere haec sunt:

I. *Prorrhetic.* II. 21. A *Nomarum* speciebus, quas dein Graeci vocarunt *Phagedaenas*, nos *Gangraenas* et *Necrosin* appellare solemus, distinguit

«*Herpetes*, omnium ulcerum, quae depascunt, (ὄσα νεμεῖαι) minime periculosos; verum maxime difficulter submouendos secundum abditos can-  
cros.»

Hoc ex loco non solum natura *Herpetum ulcerosa* sed etiam *peruicacia* apparet, illi similis, quae in *Canceris abditis* obtinere solet. (2) *Hippocratis* mentem, ut sub-

(1) Genuina probaque *Hippocratis* scripta non nisi ea laudo, quae post *Mercurialis* et *Halleri* delectum, imprimis a *Grunero* nostro sunt comprobata *Censura libr. Hippocraticorum* Wratisl. 1772.

(2) Sensum *καταγε κρυπτοῦς καρκινούς* recte *Foefius* eodem modo explicat, quo *Tullius* dixit: «quibus ille secundum fratrem plurimum tribuebat.» De aliis abditis *canceris* modo, ut mox videbimus, *Hippocrates* egerat.

inde solet, *Galenus* egregie affecutus est. «Ex iis, ait, quae vicina depalcunt, (επινεμελαι) id quod ipsum sanum corpus arrodit, *Phagedaenam* vocant. Depalcit quoque *Herpes*, quae circa sunt arrodens, sed non nisi cutis exulceratio est.» Postquam alio loco *Galenus* varias ulcerum appellationes, ad rem ipsam non facientes (περιεργολερας) reputavit: «nobis sufficit, inquit, ex iis, quae vicina corripunt, alia *Herpetes* appellare, quae summam tantum cutim afficiunt: alia *Phagedaenas*, quae etiam subiectam carnem corrumpunt.» (3) Nomarum quidem appellatio non penitus exoleuit: Phagedaenae tamen, a posterioribus magis est frequentata.

2. *Prorrhēt.* II. 18. aetatum morbos recensens, praeter κηρια δεινα (4) *viris* tribuit

(3) *Galenus* prior locus est de *Tumor. praet. nat.* c. 13. posterior *ad Aphor. Hipp.* VI. 45. Verissime autem in hoc simul addit: «Putridum ac depalcens (το σηπεδονωδες και νομωδες) non uni eiusmodi ulcerum speciei proprium est et peculiare, quoniam etiam absque ulcere putredo per se ipsa in multis partibus consistere potest.»

(4) *Ceria* *Foësius* ulcera dicit, faui in modum perforata et humorem mellis instar fundentia.

«Cancros abditos eosque latentes (υποβρυχιους) et ex *Epinyctidibus* oriundos Herpetes, donec sexaginta annos multum superarint»:

Senibus vero paulo post

«Cancros eosque abditos et quidem summas corporis partes occupantes (ακροπαθους).» (5)

Omnimode notabilis locus est. Varias fuisse Herpetum species non solum apparet, sed etiam in his eos, qui e praegressis *Epinyctidibus* oriuntur, quas quidem ipsas, ut in vulgus notas, non nisi nominat: Herpetes ulcerosos vero ex illis enatos *virili* aetati praecipue familiares esse indicat et quidem integrae adhuc mediaeque aetati. Post sexa-

(5) Febrem *Hippocrates* ipse *Epid.* I. saepe *μαλακως* incipere *καὶ υποβρυχιου* lenem et latentem esse dicit. Ita et *Aretaeus acut.* II. 7. febrem dicit in profundo latentem et obscuram (*πυρ υποβρυχιου, αλαμπες*). Quibus vero quum dein in senibus opponantur *ακροπαθοι*, illi *virili* aetati familiares cancri abditos nondum ulcerati videntur esse, qui in profundo corporis aut latentibus locis; *hi* vero senibus peculiare, qui in conspicuis partibus nascuntur, circa faciem, nares, aures, labra etc., quae fere etiam sententia est *Foessii* ad h. l. et in *Oecon.*

ginta sex annos enim coeundi tum desiderium tum facultatem cessare, antiquis medicis ipsique Hippocrati visum est. Illi ipsi etiam aetati virili utriusque, ut videtur, sexus caneros abditos i. e. nondum ulcerosos in locis latentibus vindicat: seniori autem eosdem, sed inprimis summa corporis occupantes. Cancer vero omnis priscis medicis non idem, qui iamiam nostratibus, pessimi moris tumor ulcusque dicitur, sed omnis etiam non nisi mali moris (*κακοηθες*), siue tumor adhuc scirrhosus fuerit, siue in ulcus abierit. (6)

3. *L. de Aëre Aquis et locis* II. in ciuitate, quae ventis calidis est exposita, morbos sexuum aetatumque exponens, adferit, «mulieres, morbis ac defluxionibus obnoxias (*γαστρας καὶ ῥωδεας*) esse —

(6) *Celsus* V. 28. sect. 2. Carcinoma non idem (quod carbunculus) periculum afferre dicit, nisi imprudentia curantis agitatum est: — verum tolli nihil, nisi *κακοηθες* potest: reliqua curationibus irritantur. Idem VI. 18. sect. 4. phagedaenam peiorem altioremq̃e Cancri gradum vocat cf. *Foesius* in *Oecon.* ad vocem *καρκινωμα*, ubi vel innatum Cancrum (*καρκινου συμφυτον*) ex Autore Coacarum citat.

viros vero epinyctidibus multis et in ano haemorrhoidibus.»

Haec, si quid iudico, ita intelligenda videntur: ab iis; quae noxia intus haerent, mulieres quidem sexus sui fluxionibus seu destillationibus (7) saepe liberantur; quae vero in viris cutim petere solent et pustularum imprimis speciem eam excitare, quas *Epinyctidas* vocant, quarumque indolem e *Celso*, qui pessimam pustulam dicit, dein exponemus.

4. *Aphorism. V. 22.* varias post affectiones, quae quidem Calidorum applicationem indicant,

«Calidum amicum est et ad iudicationem confert (*Φιλιον και κρινον*) herpetibus *esthiomenis*, sedi, pudendo, utero, vesicae.

Haec ipsa autor libri Pseudohippocratici *de Liquidorum usu* sub finem iisdem fere verbis repetit. «Herpetibus *esthiomenis* denigra-

(7) Hunc locum erudite probeque explicuit celeb. *Coray* in h. l. Hippocr. T. II. p. 29. non vero, licet etiam erudite, ut pote non ad mentem veterum medicorum, *Epinyctidas* p. 37. Admodum multa, at confuse satis, congeffit ad h. l. *Septalius*.

tis ipsis siue in gingiuis, siue in aure, siue in ano, siue in utero, his omnibus Calidum amicum est et iudicatorium, (Φιλιον και κρινον)» (8).

Ex his vero *ipsius Hippocratis* effatis efficitur,

1. *Herpetes* ipsi dictos *ulcera* fuisse *cutanea* proserpentina vicinasque partes corrodentia;

2. *Herpetum non unam* fuisse speciem, quas inter diferte nominat *esthiomenum*, qui praeprimis in imo ventre litas partes et loca obscoena occupare suevit;

3. alios dicit *Herpetes ex Epinyctidibus* enatos, quas quidem ipse propius non definit: quibus vero

4. *virilem aetatem* omnem, imprimisque *viros* eosque in integra aetate constitutos valde obnoxios reputat, ut defluxionibus mulieres.

(8) *Galenus* ad hunc locum causam esse dicit, quod ulceribus sit mordax et locis dictis admodum nervosis inimicum frigus: calidum amicum ac salutare. *Jo. de Gorter in Medicina Hippocratica*: Notatu dignum est, ait, quod non absolute recenset (*Hippocrates*) herpetem quemcunque, sed qui exedit sedem, pudenda, uterum et vesicam. II. p. 574.



Quae autem omnia ubi quis rite perpendit simulque meminerit, artis nostrae parentem in morbis non nisi sedulo et curatius observata, non vero causas morborum neque afferre, neque potuisse afferre, illum sane labis e coitu contractae non potest aliqua suspicio non subire.

In *Pseudehippocraticis*, quae *collectioni* scriptorum Hippocraticorum inserta sunt, modo Herpetum variorum (9) fit mentio, modo ipsarum etiam Epinyctidum. (10) Verum neque ad explicandum morbum ne-

(9) *Coac.* 628. «Serpentia ulcera (ἐρπηστῖνα) supra inguina, ad laterum mollitiem (νενεωνά) pubemque enata male affectam aluum indicant.» Alia Herpetum species est, *Zoster* s. *Zona* dicta, cuius e viscerum abdominalium prava indole fomes est ortus. Alia aequae levis Herpetum species est, de qua autor *Epidem.* II. p. Foef. 1024: «*Sudamina* (ἰδρωῖδες) atque *herpetes* in capite fiebant, qui tertio die exsiccata sunt.» Quae tertio iam die exsiccata sunt, ipse *δυσκρίλα* vocat et ad miliaria nostra propius accedere videntur.

(10) In *L. de internis affect.* Foef. p. 550. «Tibiarum ulcera, cuiusmodi circum Epinyctides, erupisse» dicuntur. Non nisi uno in loco *Epidem.* VII. Foef. p. 1239. de Epinyctidum externa specie levis aliqua occurrit commemoratio: «Ad lienis regionem exorta est per initia velut Epinyctis et insuper tumor et rubedo dura.»

que ad argumentum nostrum multum momenti afferunt.

§. III.

*Graecorum Celso anteriorum de Herpetibus obseruata e Celso.*

Qui praeter Pseudhippocraticos praeclari inter Graecos medici per VI. fere post Hippocratem saecula nostram illustrarunt artem penitus fere interiire; illorum tamen observationibus edoctus, propria vero experientia vix exacutus *Celsus* (1) non ubique satis discernenter concinnauit *medicinam* illam *encycliam*, rerum ubertate ac sermonis elegantia conspicuam,

(1) Conf. quae de Celsi in arte medica peritia aduersus laudatorem ipsius doctissimum *Morgagnium*, egregie monuit *Bianconi* in *Sendschreiben über d. Celsus* edit. Germ. Lips. 1781. p. 123. Sane iusto non iniuriosior in Celsum *Leonicenus* est, qui (*de morbo Gallico* in *Luis. Aphrodis.* ed. Boerh. p. 35.): «viderint, inquit, qui, solum cultum atque nitorem sermonis attendentes, Celsum faciunt medicinae Deum, malintne Celso homini Romano, an Hippocrati et rel. celebri nominis Graecis autoribus in Graeca morborum credere appellatione.»

Nomen quidem *Herpetum* priscis Romanis non inauditum fuisse, patet e *Lucilio* (apud *Nonium Marc.* II. 375.) qui serpere dixit herpesticam gangraenam. *Celsus* vero, e Romanis, qui primi medicinam attigerunt, fere solus superstes, sub *ignis sacri* appellatione V. 28. *sect.* 4. agit de Herpetibus. (2) Sacer ignis *populari* nomine id morbi genus iam a *Lucretio* vocatur, «quod serpens repensque per artus ulceribus quasi inultis corpus omne exurit.» *Scribonius Largus* ignem sacrum zonamque iungit, quam Graeci *έρπηλα* dicunt. *Plinius* etiam, «ignis sacri, ait, plura sunt genera, inter quae medium hominem ambiens, qui *Zoster* vocatur.» (3)

(2) Sacrum ignem *Erysipelas* esse putarunt Graecorum medicorum latini interpretes fere omnes, ipso *Cornario*, *Foëstio* allisque bonae notae non exceptis. *Celsus* autem iam V. 26. *sect.* 33. de *Erysipelate* egerat. Praeter *Sammonicum* equidem quenquam non novi, qui inter antiquos sacrum ignem cum *Erysipelate* confuderit.

(3) *Lucretii* loca sunt *de rer. nat.* VI. 660. 61. 1164. 65. *Scribonii Compos.* c. 13. 23. 97. 98. *Plinii Hist. nat.* XXV. c. 11. 74. Ipsa in *Veterinaria* ignis sacer morbus cutaneus pforicus audit, qui cutim artusque depascit. *Virgilius Georg.* II. 566. *Columella* VII. 5. *Insanabilis* sacer ignis, quam *Pusulam* vocant pastores.»

Quod vero in his summum est, ipsa sacri ignis a Celso ea delineatur imago, quam *Herpetis* faciem graphice exprimere, palam profiteri non dubitavit priscae medicinae gnarissimus quisque interpret (4).

Sacri enim ignis, «qui malis quoque, (ut priora) ulceribus annumerari debet, duas species» satis distincte definiuit.

«*Alterum* lubrubicundum est, exasperatum per pustulas continuas, perexiguas, in quibus *semper fere* pus est saepeque rubor cum calore. Serpit id nonnunquam, sanescente eo, quod vitiatum est, nonnunquam etiam exulcerato, ubi ruptis pustulis

(4) V. c. *Nic. Leoniceus* de morbo Gall. p. Luif. 35; *Fracastorius* de morbis contag. II. 15; *Mercurialis* Var. Lect. IV. 9. ipse quoque *Foesius* ad locum Hippocratis *Prorrhēt* II. 21. Inter *Celsi* interpretes *Pantinus*, *Ronsseus*, *Constantinus* ad h. l. In recentioribus *Celsi* editionibus textus quidem, qui ea quoque opera indigebat, emendandi ratio magis habetur, quam interpretandi, qua quoque *Celsum* indigere sane nemo non videbit, qui cum Graecis contulerit, quorum quidem loca, nullo vero aut temporum aut probationis respectu habito, undecunque in editionibus vulgaribus sunt corrasa.

ulcus continuatur, humorque exit, qui inter saniem et pus videri potest. Fit maxime in pectore, lateribus aut *eminentibus partibus* (5) praecipueque in plantis.»

«*Alterum* autem est in summae cutis exulceratione, sed sine altitudine, latum, subliuidum, inaequaliter tamen; mediumque sanescit extremis procedentibus: ac saepe id, quod iam sanum videbatur, iterum exulceratur. At circa, proxima cutis, quae vitium receptura est, tumidior et durior est coloremque habet ex rubro subnigrum. Atque hoc quoque malo fere corpora seniores tentantur, aut quae mali habitus sunt: sed in cruribus maxime.»

Egregia sane omnibusque numeris absoluta descriptio est utriusque *Herpetis miliaris* et *esthiomeni*, quorum discrimen Graecis sequioris aevi medicis sollemne fuit fere omnibus. Non nisi unum laudabo *Galenum*,

(5) *Eminentibus* partes antiquis quidem medicis artus audire et obliquoenas partes atque a trunco corporis distingui, notum est.

qui in *l. de tumor. praet. nat. c. 9.* ita: «*alter herpes esthiomenus est, quem ita nominavit Hippocrates; alter, cui nonnulli post Hippocratem miliaris (νεγχροιον) nomen imposuerunt, quia miliis (νεγχροις) similis eminentias efficit.*» In Herpetis esthiomeni vero descriptione *Hippocrates* ipse, certe locus ille *Prorrh. II. 21*, Cello ante oculos obuersatus est: sed autopfia destitutus, illum aut non satis intellexisse, aut fugacius, quam par erat, legisse videtur (6).

- (6) Subiungit etenim ipsa Hippocratis verba: «*Omnis facer ignis, ut minimum periculum habet ex his quae serpunt, sic prope difficillime tollitur.*» Quae verò addit: «*Pus quo crassius et albidius est, eo periculi minus est*», ea de Nomis ab Hippocrate dicta sunt. «*Hoc quoque malo fere corpora seniores tentari*», Celsus asserit: Hippocrates contra viros donec sexaginta annos superarint. De partibus vero corporis, quas praeprimis Herpes corripit, eadem, quae Celsus, alius affert encyclius scriptor *Julius Pollux de Herpete et Herpestico ulcere*, ut verius rectiusque utrumque Herpetem salutat, *Onomastic. IV. c. 25. n. 206. 7.* Ex iisdem fontibus Graecis sua hausisse uterque videntur. Saepius dein excitabo Pollucis praeclarum, ut bene a *Saxio* dicitur, opus et quod a Medicis conferatur dignissimum. Vix inter Encyclios et Lexicographos ullus est, qui Graecos medicos curatius legerit, excerpterit.

Notari etiam meretur in altera s. priori Herpetis specie, quam miliarem dein vocarunt, pustulas non ad penitus humidas, quod plerique putarunt, esse referendas. In quibus semper *fere pus* est, etiam saepe sicciores fuisse, Celsus indicat. Recte quidem e *Galeno* aliisque *Gorraeus*: «έρπης κεγχριος, quem latini miliarem interpretantur, etiam έρπης Φλυκταγωγος nuncupatur a pustulis suis indito nomine.»

#### §. IV.

#### *De Epinyctidibus Graecorum ante et post Celsum observata.*

Qui ex aliis fontibus Graecis Herpetes ignis sacri appellatione designavit *Celsus*, ex aliis prorsus fontibus alio quoque loco de *Epinyctidibus* exposuit. Qui enim ex *Epinyctidibus* oriundi Herpetes dicuntur *Hippocrati*, illos medici ipso posteriores a reliquis Herpetibus seiungere videntur; et

Interpretatio vero *Seberi* latina, licet in edit. *Lederlini* et *Hemsterhusii* luculenta immane quantum emendata nuncupetur, vix usquam satis intelligi potest, nisi ad archetypum Graecum confugeris.

ab Herpetibus proprie sic dictis distinguere Epinyctidas. Quae quidem primum e *Dioscoride* (1) suspicio mihi est suborta, illam iam in Cello, dein quoque in sequentibus Graecis medicis omnibus (2) confirmatam vidi. De Epinyctidibus a *Celso* V. c. 28. *sect.* 15. relata ita se habent:

Inter pustularum plura genera recenset, etiam, quas *εξανθηματῶα* Graeci vocant, quorum prorsus diuersas species adeo perplexim (3) attingit, ut certi nihil constet, nisi boni *Celsi* *οὐλῆς Φλυκταῖνας* (*Targa*) easque *ἐλκωδεῖς*

(1) *De Med. mat.* I. ed. Saraceni c. 137. Oleastri folia cohibere affirmat Erysipelata, *Herpetem*, *Epinyctidas*, Anthraces, Nomas &c. III. c. 71. Coriandrum recens cum pane et polenta Erysipelati *Herpetibusque* mederi: cum melle et vua passa vero *Epinyctidas* &c. sanare. Id ipsum vero Coriandrum, quia res virosa est, ad ignem sacrum *Scribonius* l. c. ad Epinyctidas *Celsus* l. c. *Pliniusque* collaudarunt.

(2) A *Galeno* usque ad *Actuarium*, qui omnes diffitis ab Herpetibus locis collocant Epinyctidas.

(3) Exanthematum, pustulis similium, quae ex urtica vel ex sudore nascuntur, modo rubentium, modo cutis colorem non excedentium, species alias *varis similes* facit, nonnunquam maiores varii coloris — vere quidem phlyctaenas — sed quae fiunt vel ex frigore vel ex igne vel ex medicamento.



Graecorum obuersatas fuisse. Verum duas deinde species sollertius definit *Φλυζακία* et *επιουρηθιδας*, quas etiam coniungit ipse *Galenus*, (de tumor. praet. nat. c. 15.) Illa mitior, haec deterior esse species videtur.

*Φλυζακιον* s. *Ψυδρακιον*, (idem *Galeno* et *Hesychio* exanthema) Celso audit

«durior pustula, ex qua humidum exprimitur, quaeque nonnunquam in ulculcula abit aut aridiora aut humidiora, modo tantum cum prurigine, modo etiam cum inflammatione ac dolore, exitque aut pus aut fanies, aut utrumque. Maxime euenit in aetate puerili, raro in medio corpore; saepe in eminentibus partibus.»

Ex his illustrantur, quae de miliaribus formicis §. 3. e *Galeno* attulimus. *Psudracia* enim *Alexander Trall.* (I. 5.) parua cutis tubercula vocat *phlyctidibus* (*Φλυκτισιν*) similia illisque exanthemata subiungit. Eadem vero a *Julio Polluce* (4) *Herpetem*

(4) *Onomast.* IV. 25. sect. 194. *Psudracia* exanthemata sunt s. pustulae subigneae (*πυρωδη*, male suada est *Jungerm.* et *Kiiknii* emendatio in *πυωδη*) sponte enatae (*αυτομαλα*) exulceratae

ipsum constituere dicuntur. Neque premere silentio possum, *phlyctidem* ab eodem *Polluce* vocari *phlyctaenam* praelongam maxime circa inguina (*βουβωνας*) et axillas (IV. 25. 191.)

«Pessima pustula est, *Epinyctis*, colore vel subliuida vel subnigra, vel alba, circa quam vehemens inflammatio est; et cum adaperata est, reperitur intus *exulceratio mucosa*, colore humori suo similis. *Dolor* ex ea supra magnitudinem eius est. Neque enim faba (5) maior est. Atque haec quoque oritur *in eminentibus* partibus et fere *noctu*. Unde nomen quoque a Graecis *ἐπινυκτίς* est impositum.»

*Epinyctidas* Romanis pustulas liuidas noctu inquietantes appellari *Plinius* autor est (H. N. XX. 6.) Remediorum etiam ad *Epi-*

in superficie. Idem vero ib. *sect.* 202. *Herpetem* vocat *psydracia* inflammata pungentia (*prurientia*.) *Aëtio* vero autore *Psydraces* etiam Graecis dicuntur pustulae dolentes citra saniei collectionem (*Tetr.* IV. *serm.* I. c. 128.)

(5) *Faba minor* illa videtur, quam *Hellenicam* dicit *Dioscorides*, c. 137. non *maior Aegyptia* *Diosc.* 138. cui simile est *ῥυμίου* *Celsi* V. 28. *sect.* 14.

nyctidas miram ubique segetem exhibet *idem*, unde Romanis familiares fuisse, facile colligitur. *Julius Pollux* (IV. 25. n. 197.) Epinyctidem vocat phlyctaenam liuidam, subhumidam, sanguineam (*εναμνον*). Haec Romani alii.

Medicos inter Graecos *Oribasius*, «Epinyctides, ait, ulcuscula sunt, quae *per se* erumpunt, pustularum speciem prae se ferentia, subrubra, quibus ruptis sanies subcruenta defluit. Atque haec quidem interdium non magnopere excruciant: per noctem vero maiore, quam pro modo ulceris, dolore affligunt.» Eadem fere iisdem verbis *Aëtius*. Omnium optime autem et doctior et experientia callentior *Paulus Aegin.*, qui inter exanthemata et phlyctaenas intercalavit Epinyctidas, eas ita definit: «Ulcuscula sunt *sua sponte* efflorescentia (*εξανθοειδη*), quae phlyctaenarum speciem habent (*φλυκτανοειδη*) subrubra, quibus ruptis subcruenta sanies (*υφαιμος ιχωρ*) effluit. Interdium non valde infestant: noctu vero, quam secundum ulcus, magis dolorosa» (6). Hi quippe omnes

(6) *Oribasius Synopsis*. VII. c. 3. *Aëtius Tetr.* IV. *serm.* II. c. 61. *Paulus Aegineta R.M.* IV. c. 9.

*Galen* lectatores sua sponte id omne accidere opinati sunt, quicquid e magistri hypothefibus, (§. 6.) quae menti infederant, non potuerit explicari.

Quae vero omnia qui probe considerarit, memineritque, pessimae indolis fuisse Epinyctidas, exulcerationem ipsam esse mucosam, stipari nocturnis doloribus, causamque morbi inexplicabilem visam esse, vix ququam esse credo, cuius animum labis venereae aliqua suspicio non subierit.

### §. V.

#### *De Theriomate Celsi coniectura.*

Quae vero ubi attentius confidero, aliud ulcerum genus in memoriam reducitur, *Therionia* videlicet a *Celso* (V. 28. 3. breui ante sacrum ignem) dictum, quod malum quoque serpit, nomenque ipsum inde sortitum esse videtur, quod instar ἐρπονίος θηρίων proserpit. Ulcus θηρίωμα est secundum *Erotianum* mali moris (κακοήθες), secundum *Galenum* saeuum (αγριον) (1). Saeuum autem tetrum-

(1) cf. *Glossaria in Hippocr.* ed. Frantzii p. 354. 480. et in *Erotiani* locum *Eustachius*, *Foesius*

que ulcus revera est, quod Therioma *Celsus* ita depingit:

«Color liuidus vel niger. Odor foedus: multus et mucosus similis humor. Ipsum ulcus neque tactum neque medicamentum sentit: pruriginem tantum mouetur. — Quae omnia saepe intenduntur fitque ex his ulcus, quod (2) *Φαγεδαμναν* (Targa: *έρπηλα εσθιομενον* vulg. edit.) Graeci vocant, quia celeriter serpendo penetrandoque usque ad ossa corpus vorat. Id ulcus inae-

etiam in *Oeconomia Hipp.* ad voces *θηριον*, *θηριωδες*. *Galenus* quidem *το θηριωδες* etiam *Φθινωδες*, tabescens, appellari addit, de quo *Idem ad Aphor.* VI. 16 disputat. Ex ulcere autem etiam aegri tabescunt et loco cit. ipse *Galenus το κακοθηδες*, ait, *αμεινον ακουειν θηριωδες*. *Dioscorides* etiam *Φαγεδαμνικα έλκη και τεθηριωμενα* iungit

- (2) In vulgatis *Celsi* editionibus legitur «fitque ex his ulcus, quod *έρπηλα εσθιομενον* Graeci vocant.» Paulo post etiam *έρπηγς* repetitur. Jam dudum *Nic. Leoniceus*, ut sagax erat et priscae medicinae callentissimus interpres, subolsecerat, e *Theriomate* non posse oriri herpetem *esthiomenum*, sed *Phagedaenam* (*Luisini Aphrodif. ed. Boerh. p. 35.*) In nouissima vero e *codd. Medic.* recensione *Φαγεδαμνα* utrinque restituit *Targa*, cui in textus emendatione permulta debemus.

quale est, coeno simile, inestque multus humor glutinosus, odor intolerabilis maiorque quam pro modo ulceris inflammatio.»

Medicorum in libris ipsius mentio parior est. *Julius* vero *Pollux* (3), qui in explicandis morborum nominibus multus est isque fidus interpret, ita: «*Therioma* ulcus est, quod circa *virorum pudenda* oritur, nonnunquam etiam circa digitos (*δακτυλους*: forte *δακτυλιους* legendum, circa anum) et alibi, sanguinem multum nigrum et tetri odoris emittens cum nigredine carnem devorans.»

Si quis vero *Epinyctidum* cum *Theriomatum* externa specie, quam *ειδος* Hippocrates vocat, contulerit, nae ille similia utrinque symptomata animadvertet. Utrunque malum serpit; utrinque color aut lividus aut niger est: multus utrinque et mucosus similis humor; utrinque odor foedus in-

(3) *Onomast.* IV. 25. f. 206. 207. Idem eod. loco quae depascunt (*νεμομενα*) ulcera per gradationem quasi ita ordinat: *Herpes*, *Herpesticum ulcus*, *Phagedaena* (*Voracitas* interprete *Sebero*!!) *Therioma*, *Putredo* (*σηπεδων και νομη*), *Gangraena* tam sine quam cum ulcere.

to'erable, doloresque nocturni pro ulceris ratione vehementes. In eminentibus partibus, artubus et obscœnis Epinyctis: in verendis virorum Therioma. Accedit ulceris in Theriomate a Celso memorata infenilitas. Quae omnia si quis secum reputaverit, illi, ut ipsimet mihi, coniectura non subnasci non potest, Epinyctidis, pessimae pustulae, sobolem fuisse tetrum illud Therioma, quod in Phagedaenam transit usque ad ossa corpus vorantem.

Si cui vero mirum videbitur, *Celsum* non ita, ut *Pollucem*, Phlyctidas, Theriomata &c. in verendis animadvertisse, ille meminerit, Celsum, qui medicinam populariter docere cupiit «ut simul pudor et artis praecepta seruentur», ea ipsa, quae ad obscœnarum partium vitia a Graecis salutaria accepit, in unum caput omnia congregasse (VI. 18.) «quia in vulgus eorum curatio etiam praecipue cognoscenda est, quae invitissimus quisque alteri ostendit.» Praecipit itaque seorsim de colis ulceribus, per quae ipse coles exesus est (sect. 2.) de cancro, qui has inprimis partes infestat (sect. 3.)

de cancri eo genere, quod Phagedaena a Graecis nominatur, in qua quidem nigrities est, quae non sentitur et serpit (The-rioma), de carbunculo in cole (sect. 4. 5.), de rhagadiis, condylomate etc.

### §. VI.

#### *Galenus de Herpetibus commenta.*

Galenus, tot medicorum, quot per septem saecula vixere, doctrina omni instructus, ipse vir acris ingenii et facundia praestans, ad intelligenda veterum observata non parum opis contulit. De herpetibus nonnulla supra excitauimus. Ipse vero in observandis definiendisque morbis tantum operae non impendit, quantum in causis eliciendis, quas non solum in *qualitatum* uniuersalium quaternione, quae antiqua fuit sententia, sed praesertim in *humorum* quaternione ab ipso met efficta positas esse animo conceperat. Quisnam autem humor quouis in morbo subesse possit, illud omni ingenii, quod subtile nactus erat, acumine sibimet ipsi ac suis persuadere non infauso proh dolor! conatu adnixus est ille Graeco-



rum Brownius. Morborum signa rationem-  
que ipsam non nisi leuiter et per transen-  
nam quasi attigit.

Eadem fors obtigit Herpetibus, in quo-  
rum causam, si Dis placet, sedulo inquisi-  
vit (1). Herpetum fontem eundem esse, qui  
Erysipelatis, bilem flauam statuit. E bile  
sincera sanguine remissa deriuat *Erysipelas*;  
e bile sincera tenuiore (λεπτολερη) quae non  
nisi cutis superficiem deurit, *Herpetem* per  
se, qui alio loco *Erysipelas pustulosum*  
audit; e bilioso humore aut acriore aut  
crassiore (modo enim δριμυλερη, modo παχει-  
αν την συζασιν dicit) *Herpetem esthiomenon*  
Hippocratis. Ubi vero bilis minus calida  
et acris est, aut ubi pituita (φλεγματι) com-  
mixta est, pustulas (φλυκτανας) paruas mul-  
tasque *miliis* (κεγχροις) similes efficit et  
*Herpes miliaris* (ερπης κεγχριος) enascitur.  
Galenus vero ut ingeniosus est, ita et opi-  
niosus est, neque semper sibi constare vi-

(1) Loca, e quibus Galeni de Herpetibus hypothesin  
sequentes medici, ut ipsemet, hausimus, sunt  
de tumor, praeter nat. c. 9. de arte curandi ad  
Glaucanem II. 1. de methodo medendi II. 2. et  
XIV. 17; imprimis vero excerpta e Galeni de-  
perditis in Aëtii Tetrab. IV. ferm. 2. c. 60.

detur. De *Epinyctidibus* nihil usquam praeterquam nomen memoravit et quidem ita, ut sectatoribus aliqua enata fuerit suspicio, *duriores* illas pustulas *Epinyctidas* et *Plydracas* affines esse verrucarum speciebus, *myrmeciis* et *acrochordinibus*, certe non nisi propius abesse (2).

Galeno posteriores Graeci inde ab *Oribasio* usque ad *Jo. Actuarium* in eadem doctrina perstiterunt, *Paulo Aegin.* forte excepto, qui quaedam sibi propria habet, et *Aëtio*, compilatore quidem, sed non e solo Galeno, verum ex aliis etiam, *Archigene*, *Herodoto*, *Philumeno*, *Critone* aliisque, quos honoris causa appellare par est. E Galenicarum hypothesium uberi quidem illo at immundo fonte deriuata verae medicinae

(2) Inter tumores *Achoribus* minores *Myrmecia*, *Acrochordonas*, *Plydracas* et *Epinyctidas* ut omnibus notas affectiones non nisi nominatim affert *de tumor. praet. nat.* c. 15. Eodem etiam capite, in quo (*Meth. med.* XIV. c. 17) de *Herpete* agit, agit etiam de *Myrmeciis* et *Acrochordonibus*. Quos inter quod cognatio quaedam interfit, non quidem diserte Galenus asserit; sed suspicio quaedam cognationis e pituita cum bile commista in verrucarum speciebus enata esse videtur Galeni sectatoribus.

clades in Arabas et Arabistas quos vocant, eosque medicos defluxit omnes, qui post renatum priscae medicinae studium Humoristarum nomine sunt insigniti.

### §. VII.

#### *De Formicis Arabum.*

Per XIII et quod excurrit saecula in arte medica principatum tenuit *Galenus*, qui ab Arabibus inter primos versus et ab ipso Arabum principe *Avicenna* summo in honore est habitus.

Quam ipse deuoravi molestiam, illam lectoribus faceffere nolo. Perpauca etiam sunt, quibus de Herpetibus doctrina ex Arabibus possit illustrari.

*Epinyctidum* nulla mentio, nisi forte sub *Serae Sariue* appellatione latuerint (1).

- (1) Ex *Rhazis Contiente*, cuius copia mihi non fuit, ill. *Grunerus Aphrodis.* p. 14. notauit: «Vitium *Sera* antiqui appellant *filiis noctis*, eo quod sera in nocte magis excitatur.» Alio loco *Rhaze Diuis.* c. 122. *Sarum* appellare videtur. Ante *Rhazem* vero *Jo. Serapion* s. qui idem, *Janus Damascenus* Tr. V. c. 22. (veteris probaeque edit. non illius ab *Albano Torino* interpolatae p. 44.) *Messire* vocat, quod cum ulceratione

Herpetes nomen *Formicarum* sortiti sunt, non uno illo Romanis usitato verrucarum significatu (2): sed *duplici* eo, qui *Herpetes* omnes simulque verrucas una complectitur (3). Quod siue ex mente *Galeni* ipsis ita visum fuerit (§. VI.) siue ex *homonymia* vocis arabicae acciderit (4), certum est,

in herpetem esthiomenum transit. *Planta noctis Guidoni* de Cauliaco audit (ed. Jouberti p. 264.) quod nomen etiam, quo tempore lues per Europam diffusa est, retinere.

(2) *Μυρμηκία* Celsi V. 28. l. 14. verrucae sunt. *Formicationes* verrucis iungit *Plinius* u. c. H. N. XXVIII. c. 7, ubi capillos muliebres crematos cum thure et melle ad varios affectus, u. c. verrucas, sacrum ignem et fornicationes corporum laudat; XXX. c. 22. aliud etiam, quo verendorum fornicationibus verrucisque medetur. Conr. *Gesnerus* quidem fornicationem dictam putat, quod velut exesse carnem formicae videantur. Sed seriori aetati vocis haec significatio vindicanda mihi videtur.

(3) Conf. n. 3. ad §. I. locus *Guidonis* de Cauliaco et meminerit pustulas cholericas a *Galeno* dici *Herpetes* §. VII. Plures excitare non opus est.

(4) *Costaeus* et *Mongius* ad *Auicennae* Canon. l. IV. Fen. 3. tr. I. c. 6.: «Non accusandi tam acriter sunt Arabes, quibus patrius sermonis usus quum sit, ut *Formicae* nomen et *herpetas* et *myrmecias* indicet. Non est tamen ipsa res igno-

nominis confusione passionis ipsius significatum saepissime reddi impeditum.

Quod etiam in omni Exanthematum genere saepius usu venit, ut iisdem affectibus varia nomina imponantur, id ipsum in Formicarum speciebus accidit. Quas Formicas alii, illas alii Bothor (pustulas), alii Saphati (Pforam) appellant, neque alii alii neque ipsemet sibi constant (5). Qua etiam confusione omnia ita perplexa redduntur et conturbata, ut extricari vix possint. Plerique tamen Formicarum tres species consti-

rata. Cf. *Castellus* et *Golius* sub vocibus Naml, Namlah. De his vero rogatus amicissimus *Sprengel* mihi respondit: sub Formicae nomine Arabistas quidem confundere herpes verrucasque: verum in *Auicennae* et *Albucafis* archetypis verrucarum nomen esse *Thalil*: Formicae (herpeticae) vero *Namil* s. *Namlath* cf. *Ei. Beiträge zur Gesch. d. Medicin I. 3. p. 89.* Ipse etiam antiquiores, ut *Isaacum* et *Haly Abbas*, probe herpes verrucasque distinguere memini. Huic *Pract. III. 29.* apostema (Herpes ulceratus) Formix: *IX. 13.* verum verrucae Formicae audiunt in antiqua illa *Stephani* interpretatione latina.

- (5) Cui lubet, adeat *Rhaze* l. *Diuis.* c. 132 - 134. et conferat *Ei. l. ad Almanf. VII. c. 16. 17.* Hi illo sunt priores; in illo vero, adiutus (praefat. *Diuis.*) a viro neque improbo neque inerudito, non raro sententiam mutauit.

tuunt ambulatiuam, comestiuam et milia-  
rem, eiusque summum gradum, ignem Per-  
ficum.

Licet autem adeo varia et inconstans sit  
cutis affectuum descriptio, hoc tamen in cu-  
ratione notari meretur, illos omnes adeo  
malignos adeoque contumaces fuisse, ut  
Rhazeus, Auicenna alique in casu grauiori  
saepius Mercurialia commendarint. Eminent  
in his, qui Galeni pressius, ac caeteri, ve-  
stigia legit, *Albucafis*, (6) qui in *Corrosione*,  
a Formica profecta, Mercuriale linimentum  
laudauit, cuius ad Arabistas usus inprimis  
est deriuatus.

### §. VIII.

#### *De Formicis Arabistarum usque ad Saec. XV.*

Ex quo ad Occidentis dein medicos in-  
uersionibus, si Dis placet, latinis de morbis  
ipsis Arabum doctrina est delata, illorum  
etiam aut mutata aut mutilata nomina ad

(6) *Alfaharaius* (qui idem *Albucafis* est) *Theor.*  
*et Pract.* Tr. 29. c. 9. de Formica c. 10. de  
Corrosione, quae ut plurimum contingit ex aposte-  
mate Formicae aut ex Erysipelate.

Arabistas, quos vocant, sunt propagata et retenta, quin et vulgari sermone frequentata (1).

In Latinobarbaris medicis vero quae multa de Formicis maximamque partem ex Arabicis magistris compilata occurrunt, colligere quidem piget; nonnulla tamen afferam de Formicae imprimis miliaris ignisque Perlici ratione e probatoribus huius aevi Chirurgis et Medicis.

Eminuit in his saec. XIII. *Guil. de Saliceto*, non solum eruditione sed etiam propria experientia et mascula arte praeclarus (2). *Is ipse est*, (3)

- (1) Conf. *du Fresne* in *Glossar.* ad voces *Formica* *Forfa*, *Farfa*, populare *Formicarum* nomen. *Formicae* nomen eodem sensu, quo *Herpetis* olim, usurpatum fuisse demonstrat locus ex *Act. Sanct. laudatus*. «*Francisca* luem siue *Formicam* in collo patiebatur, cuius ignis sensim in reliquam corporis partem se prorogabat et teneras puellae carnes misere urebat.»
- (2) Verum est de *Guilielmo* iudicium *Guidonis de Cauliaco*, principis huius aevi saec. XIV. medici: «*Valens homo fuit, et in arte Physica (medica) et in Chirurgia duas summas composuit et iudicio meo satis bene dixit.*» Easdem illi laudes tribuunt et *Hallerus* et *Portalius* post *Freindium*.
- (3) Editione *Artis Chirurgicae* huius aevi scriptorum utor Veneta apud *Juntas* 1546. f. quae *Chirugos*

qui primus, quod memini, «de apostematibus in inguinibus (Chir. I. 42.) et de *pustulis albis vel rubeis*, de *milio* etc. quae fiunt in virga vel circa praeputium, (I. 48.) notavit, ipsas oriri a *concubitu* cum *foeda muliere*, aut cum meretrice, unde corruptio multiplicatur et retinetur in virga; aut cum neglecta fuerit in principio, materia venenosa detinetur intrinsecus, corrumpitur pellis et denigratur. Cura ergo festinanda est, quem in finem imprimis exsiccantia commendat.»

*Is ipse* (I. 63.) Formicam quoque et ignem Perficum, imprimis vero formicam miliarum (4), non solum ab impetigine, quae

Latinobarbaros secundum Autographa exhibet. Quae dein editiones, v. c. Guidonis a *Jouberto*, Valesci a *Beyero*, paratae sunt, in iis dictio magis latina est reddita, rerum vero sensus obscurior, certe saepe ambiguus. Loca *Guilielmi* hac in edit. Juntina sunt p. 303. a. 308. a. 316. b. 318. b. 323. a. b. 324. a, quae, quia in reliquis editionibus rarius *Saliceto* occurrit, describenda putavi.

(4) Herpes esthiomenus ipsi I. 58. pro more saeculi idem affectus cum cancro est atque gangraena. Merito igitur suo *infernalis Herpes* dicitur *Gordonio* et in *Mirac. v. S. Antonii du Fresne* voc. Herpes.



leprofae indolis esse solet, curatius distinxit, sed etiam formicam miliarem, quam *venenum et virus* dicit, adeo graphice depinxit, ut, si a dictione barbara discesseris, descriptionem ipsius illi miliaris herpetis *Celsi* fere aemulam dixeris (5).

Post interna pharmaca *curationis* cardo in Unguentis Mercurialibus versatur; priore e Lithargyrio, Alöe, Myrrha etc. cum Argenti viui exigua quidem portione; posteriore vero e Cera, Oleo, Cerussa et Camphora cum praegrandi Argenti viui cum salua extincti quantitate, «quibus unguentis ante dictis»

(5) *Guilielmi* descriptio haec est: «In Formica miliari fiunt pustulae parvae in modum Sinapis aut Milii, quae adurant et inflammant locum et multiplicantur numero multae et fiunt modo albae, modo rubeae, aliquando citrinae. Et quum rumpuntur, maxime emittunt album humidum quoddam, et est *venenum*, ut sic dicam, et *virus*. In igne vero Persico fiunt vesicae in loco, ac si ignis ipsum tetigisset, et non multae in numero multiplicantur secundum incendium.» Ita quoque *Bernh. Gordonius* materiam venenosam inesse omni formicae miliari ignique Persico asserit (*Gruner Aphrodis.* p. 25); idemque in *Lilio* VII. c. 5. passiones virgae oriri a muliere, cuius matrix est immunda, plena sanie aut virulenta.

*Guilielmus* addit «aeger perfecte curabitur» (6). Similia vero unguenta Mercurialia etiam in gutta rosacea l. rubea (l. 18.) et in omni scabie non solum (l. 56.) *Saliceto* laudat, sed alii etiam ante et post ipsum praedicant. Ad omnes cutis infectiones, quae tum temporis frequentes malique moris et cum virulentia, ut dicere solent, fuisse videntur, Argentum viuum saliuā extinctum, quod Arabes iam commendaverant, in usum vocarunt.

Doctissimus ille sui aevi medicus *Guido de Cauliaco* (7) multus quoque est in lau-

(6) «Si hac via (illitione unguenti prioris) non curetur, *Guilielmus* ait, scarificetur audacter locus, fricetur irritantibus, postea ungetur cum unguento antedicto. Et si adhuc per ista non curetur, tunc super loco *Cantharides* pistatas et mixtas cum sinapi, fermento panis et aceto, applica ut locus excorietur et tunc ungetur locus cum ungu. e *Cerae* unc. 1. *Olei* unc. 4. c. *Cerussae* q. s. f. f. ungu. add. *Argenti viui* c. saliuā extincti unc. quinque *Album. Ouor.* 2. *Camph.* scrup. 2.»

(7) cf. *Tr. VI. Doctr.* 1. c. 3. p. *Junt.* 60. 61. fere totum. De unguento *Saracenic*o addit: «facit educere superfluitates, per os saliuam emittendo (ita rectius *Joubertus*) et per subascellas resudando, inungendo solum extremitates a genu et cubito in sole aut ad ignem.» *Id. Tr. IV. Doctr.*

dandis unguentis c. Argento viuo paratis, quod etiam princeps pharmacum ab ipso commendati Unguenti Saraceni constituit. Scimus vero omnes, quibuscunque cutis infectionibus labis quicquam venereae etiam hodiernum non raro subesse et difficulter dignosci.

Eodem quoque saec. XIV. publicis *lupanaribus* Auenionensibus ab optima regina Joanna, Londinensibus ab episcopo Wincestriensi leges latae sunt, quibus cautum est, ne per contractos a *scortis* morbos etiam iuuenes, quibus ista copiam sui fecerint, *inficiantur* (8).

Ex his vero satis apparere arbitror:

I. *Contagii venerei e coitu impuro contracti* hac demum aetate non quidem suspicionem esse enatam, verum ex certa iam

2. c. 7. de ulcerum in virga et matricis collo virulentorum corrosiuorum et cancroforum, rhagadam, sicuum et condylomatam causas dicit esse fricationes et tactus inordinatos: Tr. VI. Doctr. 2. c. 7: calefactionis et foeditatis virgae decubitus cum muliere foeda. Cf. *Gesch. d. Lustf.* p. 154. sq.

(8) Statuta ipsa ex *Astruc et Beck* et excerpta v. in *Gruneri Aphrodis.* p. 26. 32.

atque diutina obseruatione non solum *medicis*, sed etiam ipsum *in vulgus* fuisse cognitum;

2. Pustulas illas atque ulcera, quae *Herpetes* Graecis, Arabibus *Formicae* audiunt, impuro coitui etiam fuisse adscriptas;

3. Ignem Persicum, qui ad *Carbunculos* et *Anthraces* *Prunamque* Arabum potius pertinet, duce *Auicenna*, male confusum esse cum *Corrosione*, ut *Albucaasis* verius vocauit, i. e. exulceratione e Formicis oriunda (9);

4. *Cutis affectus* varios, sub quibus venereum saepe virus latet, *peffimae* tum temporis fuisse *indolis* adeoque contumaces, ut in compluribus pforicis et id genus morbis opus fuerit *Mercurialibus*, iisque ea quidem quantitate, ut saluatio inde sit suborta.

(9) De hac confusione praelonga est disputatio *Nic. Leoniveni* (de morbo Gall. Boerh. p. 25.), qui genuinam ignis Persici indolem e Formica non repetendam esse demonstrauit.

## §. IX.

*Formicarum durante saeculo XV. notitia.*

De Formica contagioque ex impuro coitu contracto eadem fere obseruarunt medici sub saeculi XV. initio.

Pet. de *Argelata* eandem descriptionem Formicae tam ambulatoriae et comestivae (Chir. I. tr. . lc. 5.6.) quam inprimis miliaris exhibuit. Miliarem peioris indolis dicit, materiae grossioris et tardioris resolutionis, quod Cholera mixta sit cum phlegmate et melancholia. Ad miliarem etiam Formicam porralem, ficalem et bothoralem refert; subiungitque pro more saeculi ignem persicum s. sacrum. *Idem* (I. tr. l. c. 30.) agit de pustulis albis vel rubeis virgae propter conversationem cum foeda muliere.

Non multo post *Valescus de Taranta* ulcera et pustulas virgae *primitivas* oriri dicit a coitu cum foetida vel immunda vel cancrosa muliere, aut a femoralibus nigris foetidis et immundis, VI. 6. Nullus vero huius aetatis medicus Herpetes, simplicem, esihio-menon et miliarem *Galenii* ad mentem penitus *Valesco* nouit et distinxit, VII. 24. 25.

Eodem fere tempore 1430 *Thom. Gascoigne* nouit «diuerfos viros, qui mortui fuerunt ex putrefactione membrorum suorum genitalium, quae corruptio et putrefactio causata fuit, ut ipsi dixerunt, per exercitium copulae carnalis cum mulieribus.» Duos nominatim adfert (1).

Saeculo medio XV. *Leon. Bertapaglia* iisdem fere verbis, ut *Argelata*, I. 3. Formicas, I. 4. vero ignem persicum definit, et in hoc idem *Albucahis* unguentum Mercuriale commendat. Eadem itaque hoc adhuc tempore Formicarum et notitia et frequentia fuit.

Post medium vero saeculum grassari coepit *lues venerea* per omnem fere Europam et quidem initio sub externa *Formicarum* saepissime specie.

Telle *Jo. Widmann* f. *Saliceto* medico Badensi et postea Professore Tubingensi «*pustulae formicales* vel *Asafaticae*, dictae *Malum Franciae*, ab a. 1457 usque in praesentem annum 1500 de regione in regio-

(1) *Gruneri* Aphrodis. p. 31. *Gesch. d. Lustseuche* p. 313.

nem dilatatae sunt cum saeuis accidentibus» (2).

*Conr. Schellig* med. Palatinus et Prof. Heidelbergensis inter Germanos primus, quod scimus, peculiarem *de lue Gallica* librum conscripsit. Illum autem in indice vocat «in pustulas malas, morbum, quem *malum de Francia* vulgus appellat, quae sunt de genere *Formicarum*, consilium», cuius in praefatione, ut §. I. retuli, *Jac. Wimphelingius* «morbum hunc, dicit, non, ut vulgus opinatur, nouum, sed superioribus annis tam visum, quam aegerrime perpeffum.» Ipse Schelligius formicam miliarum exacte satis non solum definit, sed in fine etiam ad saeculi genium curationem addit (3).

Ante vero quam per Germaniam a. 1493. 94 lues venerea saeuit (4), iam 1488 in Hi-

(2) Cf. *Gesch. d. Lustseuche* p. 13. loco 1457 forte legendum esse notauit 1475. cf. *Grueneri Aphrod.* p. 47.

(3) *Gesch. d. Lustf.* p. 5. *Exc.* p. 1. 9. *Gruener* l. c. p. 49. descriptio p. 41. curatio p. 46.

(4) Per Germaniam luem iam a. 1493. et 94. diffusam fuisse testes sunt historiographi *Exc.* p. 112. sq. laudati.

spania, teste *Petro Martyre*; 1492 vero in Italia, testibus *Fulgofo, Capreolo, Sabellico*, plurimi ea sunt tentati (5). In obsidione Nouarenfi 1495 *Marcellus Cumanus* (6), qui infinitos Bubones et multos Carolos (Chancres) curauerat, vidit «*pustulas* s. *vesicas epidemias* sicut granum milii sub praeputio aut super balano ortas, quae tanquam *Formica corrosiua* ulcerabantur.»

*Conr. Gilinus* (7) «*pustulae*, ait, aliquando sunt sicut *Milium*— quandoque absoluitur nomen ignis *Perfici* de illis, super quod est illic *pustula* de genere *Formicae* *comestiuae* — *passio Gallica* multotiens coniungitur cum *Formica*.»

*Nat. Montetesauro* «*Saphati*, inquit, quod deinde exulceratur ulceribus crustosis, valde similatur in principio *Formicae*.

*Nic. vero Leonicens*, ut simul doctus erat sagaxque, facile errare eos vidit omnes,

(5) *Exc. ad Gesch.* p. 94, 97, 102. *Grüner* l. c.

(6) *Gesch. d. Luftf.* p. 14. *Exc.* p. 11. *Grüner* p. 52.

(7) *Loca Gilini* v. in *Luis. Aphr.* ed. *Boerh.* p. 342. sq. *Montetesauro* ib. p. 115. *Leonicensi* ib. p. 136. *Almenaris* ib. p. 367. *Beniueni* p. 399. et in *Dodonaei* obs. p. 94. De omnibus cf. uberius *Gesch. d. Luftseuche*.



qui luem modo ad Elephantiasin, modo ad Impetiginem, modo ad Saphati s. Pforam, modo ad ignem Persicum Prunamque retulerint. Ipse non *unum* dixit morbum Gallicum, neque «*simplicem* morbum, qui cum eiusdem naturae pustulis omnibus eo laborantibus morbo accidat, atque ideo vel pustulae melancholicae, vel erysipelas, vel herpes siue formica vel aliquo *uno* nomine speciali in cunctis possit appellari.» Ipse quidem iudicat: «*Milium* (Malum, in I. edit. Lull.) hoc, quod morbum Gallicum vulgo vocant, inter *epidemias* debet connumerari. — Sunt pustulae partes primum obscoenas, deinde reliquum corpus atque ipsam praecipue faciem occupantes.»

*Jo.* etiam *Almenar*, qui primus post Leonicensem morbum Gallicum non unum esse asseruit, neque e varia pustularum specie diuersimode definiendum, Pforae (Saphati) quidem magis assimilari putat; addit tamen accidere saepe ut Esseris, Formicae etc. assimiletur. Ad pustulas etiam unguenta Mercurialia commendat.

*Ant.* quidem *Beniuenius*, inter veri nominis medicos facile princeps (*Haller*), pu-

stularum variarum nomina missa facit; sed prae aliis luculenter descripsit quatuor illarum genera admodum diuersa, in quibus etiam sunt «*varis similes* figurae rotundae, e quibus squamis resolutis prominebat caro rubicundior, ex qua virulentia foetens et grauioris odoris profluebat.» Ad herpes miliares et varis similes pustulas *Celsi* (§. III. IV.) quam proxime accedere videntur.

Prae reliquis autem laudandus est *Jo. de Vigo*, longa amplitudine artis exercitatione sub finem saec. XV. initiumque XVI. magnopere celebratus Chirurgus, qui, quo loco de Formica imprimis miliari et igne Persico in genere multis egit, ea omnia et ipsum Saphati *huius Gallicae communia* esse tradit, et Mercurialia externa praecipue commendat ad omnes malignas corrosiuasque exulcerationes. Idem ipse, quo loco de lue Gallica praecipit, omne genus Apostematum et excrementiarum, *omne genus Formicarum, Herpetem* ipsumque *Esthiomenum* cum illa complicari vidit; vidit ulcera ambulatiua, maligna, formicosa; laudat ceratum et linimentum ex argento viuo ad *Formicam morbi Gallici* atque per eius-

modi pharmaca (cap. de Formica miliari) afferit: «quamvis materiam, facientem ulcera corrosiva virulenta atque maligna, eradicari per os educendo, vel per secessum, vel per multos sudores» (8).

Efficitur ex his

1. Tum temporis luem saepissime sub Formicarum specie comparuisse et quidem praecipue miliarium, non vero sub hac sola unicaque,

2. sed etiam exocharum aliarum aliarumque, et quidem tum pustularum humidarum scabiei, pforae etc. tum papularum siccarum impetiginumque, quin ipsius Erysipelatis; diuersas autem pro loci temporisque ratione fuisse;

3. Formicas vero caeterasque has pustulas omnes non solum a causa venerea, sed ab aliis etiam causis profectas esse, quas adhuc nondum satis perspectas medicis

(8) *Chirurg. Copios.* de Formica, Formica miliari et igne Persico l. II. c. 6-10. de Sabafati l. IV. c. 6. de morbo Gallico V. c. 1. 2. quo ultimo loco etiam linimentum et ceratum suum Mercuriale, imprimis vero in *Compendiosa* l. V. ad Formicam morbi Gallici ulceratam Linim. cum Merc. sublim. adhibet. cf. *Gesch. d. Lustf.* p. 90. sq.

fuisse videmus, non nisi ad Galenica initiatis;

4. Pustulas quidem plerumque in virgaoccoepisse a Carolis, eo tempore dictis; medicos nondum vero novisse, coitum impurum ipsum malorum fomitem fontemque fuisse.

*Alex. quidem Benedictus*, veterum medicorum doctrina imbutus, in *Anatome* semen hominis valetudine ac salacitate impurum, muliebri vitiato simile vocat; universum corpus distemperamento in morbo Gallico vitiatum dicit et prostituerarum virus totum orbem infecisse. Sed Benedicti postremi libri serius, 1511 sunt editi (9). *Jo. de Vigo Chirurgia* quidem a Practicis magis lecta est et intellecta: sed ante a. 1513 nondum typis excusa. Neque quenquam novi, qui ante *Geo. Vellam* (10) expresse dixerit, aegritudinem hanc a partibus obscenis tanquam a *propria minera* originem traxisse.

Versus saeculi XV. finem et inprimis sub initium saec. XVI. alia etiam simul morbi facies surrexit. A *Variolis magnis*, Africae

(9) *Gesch. d. Lusif.* p. 90. *Exc.* p. 82. *Gruner* l. c.

(10) *Gesch. d. Lusif.* p. 100.

incolis *Pians*, ab *Erasmo* lepide *poscae* dictis, omnium saepissime lues initium nomenque desumpsit. *Jac. de Bethencourt* 1527 demum morbum *Venereum* dixit et eodem fere tempore *Fracastorius* *Syphiliticum*. Nomen autem *Formicae* dein exoleuisse videtur: ulcerosa vero luis indoles nunquam e medio penitus est sublata. Ipsi vero *Herpetes* non amplius subhumidae pustulae atque ulcera dicti sunt: sed potius pustulae aridae, aut papulae, *Fernelio* teste (II. 7. c. 4.), vocari coepere, e quibus ruptis nec pus nec sanies exit.

*Joh.* itaque *Wierus*, praeclarus ille post medium saeculum XVI. medicus, commemoravit (II) «inter morbi Gallici accidentia inauditum et intolerandum malum, quod milites Hispani in inferiorem Germaniam intulerunt, communicarunt. Vocatur *Formica* estque venenatus malignus et contumax *Herpes* siue serpigo: sumit autem initium a verendis, progreditur ab iis per uniuersum corpus cum doloribus et intolerabili pruritu. Nominabo itaque *Formicam Gallicam*, Teutonice *Zitterfchen* siue *Flechten*.

(11) Obseru. I. II. §. 28. in Opp. p. 976.

## §. X.

*De venereis morbis confectaria quaedam.*

Quae hactenus exposita sunt ubi sine praeconcepta opinione attentius consideraveris, dubitationi vix locus esse potest, quin hoc quidem tempore *lues venerea* eadem specie et forma primitus apparuerit, quae ipsis medicis sub *Formicarum* appellatione iam dudum fuit percognita. Ea vero tempestate, qua libidines, stupra ac scortorum lenocinia omnium fere corpora mentesque corruperant, illam ipsam Formicam, quae antea non nisi *sporadice* acciderat, ubique gentium *epidemice* quasi grassatam esse atque peioris et peruicacioris indolis euasisse medicorum complures animaduenterunt: alii vero nouum morbum esse caelitusque demissum in vulgus, cui istiusmodi probari solent, sparserunt.

Quae secundum Arabes dictae sunt Formicae, Graecorum fuisse *Herpetes*, satis constare arbitror, quos inter praecipuis *Epi-nyctides* et e probabili coniectatione *The-riomata*, symptomatibus notisque iisdem stipari videbis, quibus venereus etiamnum

morbis signatur (p. 23. 25); istis imprimis etiam verenda colemque infestari; et, ut *Celsus* ait, in id genus cancri abire, quod *Φαγεδαμνα* a Graecis nominatur. Neque repugnat auctoritas *Hippocratis*, qui non solum a *Nomis* distinguit *Herpetes*, omnium ulcerum quae serpunt curatu difficillimos: sed etiam ex *Epinyctidibus* oriundos *Herpetes* familiares *virili aetati* dicit *virisque* praesertim in integra aetate constitutis.

Propterea tamen neque *omne Herpeticum* venereum fuisse contenderim, neque *Herpetum sola* sub specie delituisse venereum virus. Proteiforme hoc si quod unquam malum, cuiusmodi nostra aetate est, eiusmodi ab omni aevo fuit. Ex iis, quae ante dicta sunt, non nisi hoc effici posse videtur, phlyctaenas et *Epinyctides* ulceraque *Herpetica* varia iam olim venereae saepius prolapiae fuisse; attamen quoduis etiam siue scabiem siue psoram mentiens exanthema ab eiusmodi labe, ut hodienum contingit, saepius etiam olim non fuisse immune.

Morbosus autem *fomes*, qui per contagium verendorum omnium facillime ac saepissime propagatur, ipse non nisi in ipsis par-

tibus obscœnis e libidine dissoluta *primitus* hinc illinc, certe alicubi ultro ac sponte genitus enatusque videtur. Nullus unquam in vitæ temperantia error peccatusque committitur, qui aliquam saltem labem sanitati non inferat; neque illius expers esse unquam poterit libidinis intemperantia, quæ simulac in utroque sexu sæpius valideque inualefcere coepit, fomes impurus non subnasci non potest, in obscœnis præsertim partibus, quæ foetidam volaticamque spirant acredinem. Inde etiam contigisse videtur, quod *Plinius* nonnullique medici veteres istud ipsum, quod virosissimum glandulosi præprijis generis foco inhaeret, muliebri non solum fluxui, eique non plane insonti, verum ipsi etiam semini virorum tribuerint.

Eiusmodi vero fomes virusque nullo non siue tempore siue loco generari potest et propagari: maxime vero eo, quò lasciviam ac salacitatem per civitates gentesque regnasse historia docuit. Nullum quoque tempus atque nullus locus, quorum superstes est memoria, variis illis *localibus* malis, quæ obscœnas partes obsident, siue unquam siue usquam expers fuisse videtur (*Gesch. d. Lust-*



*seuche*). Ex obfcoenis noſtra aetate per ſyſtema lymphaticum *abſorbetur* virus et cum corpore toto communicatur. Idem vero ab omni aeuo contigiffe reor, ac ſyſtema lymphaticum, licet ab antiquis medicis ignoratum, muneribus tamen ſuis nunquam non potuiſſe perfungi. Suſceptus autem fomes aliorum ſub larvis morborum ſeſe recondere variosque affectus mentiri ſolet. Ipſe itaque nunquam a me impetrare potui, ut temere iis fidem haberem, qui ſibi aliisque perſuadere ſtudent, libidinum mercedem meritasque iamdudum per omnem terrarum orbem poenas ſaeculo demum XV. ab incolis inſulae Hispaniolae ad nos reportatas et in Europam nauibus fuiſſe aduectas. Hanc quoque noſtram ſententiam nupera confirmavit notitia, luem veneream et ad luem remedia in Indiae Sinaeque imperio ab omni iam memoria non fuiſſe incognita.

Qui vero factum ſit, ut fomitis impuri cognitio per tot ſaecula Graecos medicos fugerit, probabili quadam ratione explicari poſſe arbitror. *Hippocratem* priſcosque medicos, qui modo pauci ſuperſtites ſunt, poſthabitis morborum cauſis, morborum

praecipue non nisi *ειδος* ac signa notasse nouimus. Naturae hominis eos enim latuit cognitio penitior. Quo vero tempore *Galeni* non satis laudando studio aliquanta certe corporis nostri cognitio physiologica illustrari coepit, eodem idem *Galenus* hypothesebus suis omnem obscurauit pathologiam. Ea vero fors opinionum, quarum commenta, ut *Celsus* dicit, dies delet, naturae autem iudicia confirmat, non ea fors medicae obtigit arti. Qui naturae iudicia in *Galeni* effatis proflare putarunt medici, vix quicquam sibi datum putarunt, quam ut secundum partes corporis affectus cuiusuis speciem et praesertim *colores* exacte scrutarentur, e quibus humorem morbosum morbique naturam diuinarent. Quo factum esse videtur, ut in veras morborum non inquisiuerint causas easque inter etiam fomitem impurum neglexerint, donec per ingravescens ex immani libidine malum tandem innotuit. Ea ipsa tamen aetate a plerisque pro topico praecipue affectu adhuc est habitus.

Lues autem, e damnosa Veneris voluptate oriunda, non *unus* est ac simplex *morbis*, sed *diathesis* quaedam seu dispositio, quae

pro temporum coelique varia ratione, quin secundum *singulorum* quoque hominum *temperiem* sub admodum diuersis aegritudinum formis aut delitescit occulte, aut manifeste apparet. Cum *Horatio* dicere ausim:

Quo teneam vultus mutantem Protea  
nodo?

Huiusmodi vero lues mihi illa *omnis* esse videtur, quae *ipso coitu*, quo quidem loco luis praecipuus focus est, facillime cum aliis *communicari* et ad ipsam *prolem propagari* possit. *Summa* eius *genera* esse equidem arbitror *Lepram*, malum, quod *Pians* vocant, ipsamque *Syphilidem*.

*Lepra* Orientalium gentium indigena lues, cuius antiquissima est commemoratio, ex Asia Aegyptoque omni quidem aevo, imprimis per bella ab Europaeis gesta, per Europam saepius est diuulgata.

*Pianica*, Africae etiamnum endemia lues, variolis illis praegrandibus fungosis conspicua, quae in decursu furunculos fere nostros aemulantur, lues illa non quidem Graecis et Arabibus prorsus ignota videtur: certe vero sub *variolae magnae* nomine versus finem XV. et initio XVI. saeculi

per Occidentem grassata est, ipsiusque fomitem dispersisse Maranos non equidem negauerim.

Venerea vero lues, quae *Syphilidos* iam nacta est appellationem, Europae inquilinus videtur esse morbus, qui sub *Herpetum* imprimis ulcerumque serpentium varia forma a summa memoria per Occidentem semper quidem utroque regnavit, ita tamen, ut aliorum illata contagia temporibus, ut ita dicam, subseciuis iuxta locum habuerint. Extranea illa vero, nisi forte saepius nouiterque redintegrata fuerint, post aliquod temporis spatium mitescere primum, dein etiam exolescere videmus, indigenamque luem suas in sedes reuerti omnes.

De morbo *Yaws*, quem hybrida voce *Framboesiam* appellarunt, quamque in Peruvianis oris endemiam viderunt Hispani, dubius adhuc haereo, utrum impuris quoque morbis an non annumerari possit?

*Ternariae* vero, quam diximus, *lui* praeter contagem utramvis *communis* est aliqua affinitas et vicissitudo atque ex alia in aliam subinde transitus. Affectuum imprimis ex intemperie impura prognatorum par aliqua

et aequalis fere ratio esse videtur, cui similem ex alia intemperie vix enasci viderimus. Cui loco fomes inhaesit, genitali, ore, papilla, ibi malum primo non nisi locale esse solet diuque saepius ita persistere, ut vel meris topicis mederi illi queamus. Absorptione vero fomes in corpus postea receptus, summam imprimis cutim impetere solet aut cutis internam propaginem, atque utrobique diuersa variaque exanthematum genera excitare. *Diuersa* quidem in qualibet, certe in Lepra ac Syphilide, esse solent, unde, quaenam cuiusvis praenuncia foret, hauriri fere possimus. Cuiusuis etiam luis adeo *varia* exanthemata cutis affectusque prostrare videbis, illorum ut species non nisi aegre internosci, numerusque iniri vix possit. Praeter cutim vero adipemque, quae subiacet, tenellas quoque ossium membranas, periostia vocamus, inuadit; ipsaque mox ossa exostosi, hyperostosi diraque carie citius, certius et periculosius afficit et corrumpit, quam alius unquam fomes quicumque morbosus. Ex quo vero malum siue mora et neglectu, siue aegri secundum temperiem ingravescere coepit, cutim ipsam aut cor-

rumpit aut corrodit. Cum aliis etiam morbis pessimo omine complicatur ita, ut, quicumque demum morbi fuerint, virus hoc humores corporis polluat omnes, quibus vero in turpe tabum dilapsis, lenta quidem, sed misera morte perimitur aeger.

Selegi non nisi nonnulla ex iis confectariis eo iam tempore elicitis, quo originem indolemque impurae luis omnigenae olim opera inuestigavi. Hoc vero studiorum genus, ad alienum ab his munus euocatus, missum quidem feci, a munere tamen non alienum putavi, ut de variis, quae ad hos morbos pertinent, oblata occasione, sententiam meam etiamnum senex exponerem.

Occasio autem hoc demum tempore se mihi obtulit, quo Facultatis medicae Decanatu, a medio a. 1800 ad medium fere a. 1801 gesto, me abdicavi. Hoc ipso quidem anno et per tres abhinc annos multa salutaria aetatisque nostrae studiis accommodata statuenda, Academiae moderatoribus probata legibusque *Regiis* sunt, sancita, quae alio vero tempore locoque erunt enarranda. Jam vero, ut more maiorum promotiones Doctorum at-

que Licentiatorum Medicinae et Chirurgiae publice indicem, officii mei ratio postulat. Vitae studiorumque rationem ipsi exponent Candidati.

---

Ego *Georgius Christianus Salveter* d. XIII. Jan. a. MDCCLXX. Kiloniae natus sum. Parentum, adhuc superstitem, cura quam assidua fuerit in formanda tenera aetate, gratus nunquam non recordabor. Scholam urbis publicam frequentavi atque dein ad Chirurgiae studium incumbere coepi. Eum in finem Hauniam petii, ubi ad *Muthium*, urbis Hauniensis chirurgum, accessi. Is mihi, quinam chirurgiae sint fontes, monstravit, atque morbos quoque chirurgicos leviores tractare docuit. Post aliquod tempus a viro de me bene merito discessi, quo chirurgiae rite addiscendae omnem nauare operam possem, et virorum, qui eandem aliasque disciplinas chirurgo necessarias tunc temporis docebant, praelectionibus interesse, quibus clarissimis viris quantum debeam, grata usque mente agnoscam. A *b. Hennings* Osteologiam et Myologiam addidici, a *Winsloewio* Splanchnologiam, a *Schumachero* Angiologiam cum Syndesmologia, atque Chemiam, a *Callifeno* et *Koelplinio* Chirurgiam, a *Todio* denique Therapiam et materiam medicam. Nosocomia simul, tam ciuicum, quam Fridericianum, frequentavi. Ad medicinae iam studium animum applicans, Kiloniam reuersus sum, ibique per quadriennium institutione usus

professorum in hac academia docentium, quorum in me merita animo nunquam exident. Cl. *Weberi* praelectionibus in materiam medicam, doctrinam de febribus, et botanicam, clinico etiam instituto interfui; *Hensleri* in Diaeteticam, Anthropologiam, Physiologiam, Pathologiam, Semioticam et Therapiam tam generalem, quam specialem; *Fischeri* in medicinam legalem, quo porro duce non solum omnes Anatomiae partes pertractavi, sed cadaueribus etiam disseccandis operam dedi, quae ita ipsi sese probavit, ut professoris secundarii partes mihi demandaret, et ad conficienda nonnulla praeparata in usum Musei Anatomici operam qualemcunque meam adhiberet.

Post exhibitum specimen inaugurale *de Splenis fabrica et usu* vernaculo sermone exaratum *Licentiatus Medicinae et Chirurgiae* renunciatus est d. 1 Jul. 1800.

Me, *Augustum Henricum Ferdinandum Gutfeldt*, mater optima, mense Junii anni 1777 in urbe Altonana, patri, cuius cineres maxime veneror, peperit. Erat is *Matthias Gutfeldt*, medici experientissimi virique humanissimi laudibus inter ciues auxilium illius frequentissime implorantes gaudens, mater vero *Margaretha Euphrosyne, Immanuelis Schütze*, consulis tunc Altonani, filia. Patrem praematura mors eripuit, cum septimum vix aetatis annum agerem. Mater peritis me primum praeceptoribus, ac breui post tempore viris doctissimis, Gymnasii Altonani Professoribus, erudiendum tradi-



dit. Per nouem annos classes Gymnasia omnes frequentavi, inter alios viris meritis *Dusch* et *Henrici* doctoribus usus.

Elapso spatio isto, artis salutaris dignitate captus, academiam *Chiloniensem* petii, inter ciuium numerum a Prorectore magnifico *Fischer*, semestri hiberno anni 1796, receptus. Per menses octodecim praelectionibus Professorum huius academiae clarissimorum interfui. Cursum anatomicum duce *Fischer* peregi, ac sub auspiciis eiusdem exercitationibus quoque anatomicis practis operam dedi. In Chirurgia et Physiologia praeceptore eodem gauisus sum. Praelectionibus *Hensleri* physiologicis, pathologicis diaeteticisque interfui. *Weberum* audiui de materia medica practica differentem. *Ackermanni* demonstrationes frequentavi pharmaceuticas.

Denique viris in arte sua peritissimis, *Schrader*, *Suersen*, *Eimbke* et *Steffens*, in addiscendis elementis Physices, Chemiae, ac Historiae naturalis usus sum.

*Jenam* postea profectus, cursum ibi anatomicum duce *Lodero* iterum sum emensus. Praelectiones *Hufelandi* in Therapiam generalem et specialem, *Gruneri* in Semioticen audiui. In rebus philosophicis doctore gauisus sum *Fichtio*. Chemiam iterum et Physicam experimentalem, *Goettlingio* et *Voigtio* praeuentibus, medicinam forensem, *Fuchsio* viam monstrante, tractavi. Anno elapso, *Georgiam* adii *Augustam*, ut in disciplinas, quas dicunt, auxiliares medici-

nae diligentius incumberem. Interfui praelectionibus *Blumenbachii* in historiam naturalem et Anatomicam comparatam. In Physica experimentalis praeceptore usus sum *Mayero*; in chirurgia *Arnemanno*. Clinicum institutum, quod in nosocomio publico *Strohmeyeri* curae mandatum est, per annum; clinicum, quod dicunt, chirurgicum, quod ab *Arnemanno* dirigitur, per semestre frequentavi. Praelectionibus denique historicis *Schloezeri* interfui. Bibliotheca regia studiose usus sum, qua in re maxime mihi fuit *Reussius*. Huius benevolentia excitatus, ausus sum ingredi certamen litterarium cum civibus academicis, in quo mihi contigit, ut commentatio mea *de febre flava* praemio secundo, benigno Ordinis Medicorum iudicio, ornaretur.

Post publice d. 17. Sept. 1800 defensam dissert. *quaestiones tres medici argumenti sistentem* renunciatus est *Doctor Medicinae*.

Ego *Johannes Jebens* natus sum *Fridericopoli* a 1772, patre *Nicolao Friderico*, urbis consule, matre *Cornelia*, *Christophori Maynzhusen* filia. Ab amantissimis parentibus prima religionis et litterarum elementa edoctus, quatuor dein annos a *Lützenio*, scholae latinae in urbe patria rectore, in philosophicis, mathematicis et philologicis studiis institutus sum. Tunc pharmaciam *Esmarchio* duce *Hufumi* didici, et annis, qui discendae huic arti impendi solent, transactis eandem, in regionibus exteris ulterius excolere operam dedi. Tunc,

ad medicinae studium animum applicans, Kiliae, ubi a 1796 *Fischer*o Prorectore albo academico nomen inscripsi, per biennium et sex menses sum commoratus. Praeceptores mihi fuere, in physiologia, pathologia, medicina legali et diaetetica *Henfler*us; in materia medica *Weber*us; in anatomia theoretica et practica, physiologia et chirurgia *Fischer*us; in logica et metaphysica *Reinhold*us; in encyclopaedia medica *Reyher*us; in chemia *Eimbke*; in morbis infantum *Hargens*. Anno 1798 Jenam adii, ubi in therapia generali et speciali *Hufelando*; in semiotica *Gruner*o; in anatomia *Loder*o; in re botanica *Batsch*io; in medicina forensi *Fuchs*io praeceptoribus usus sum. Anno 1779 Hauniam me contuli et rem obstetriciam theoretico-practicam *Saxtorph*io duce didici.

Specimen inaugurale de *Tussi conuulsiva* exhibuit et *Medicinae Doctor* renunciatus est d. XI. Oct. 1800.

Ego *Henricus Christophorus Kluth* Hamburgi d. 16. Sept. 1774. natus sum, patre *Diederico Gottlieb Kluth* typographo et matre *Anna Margaretha Dau*. In schola Johannea per septem annos institutione virorum doctissimorum usus sum. Anno 1792 tempore autumnali studiis chirurgicis operam navare constitui duce b. *Friderici*, senatus et orphanotrophei chirurgo, et tam in orphanotropheo isto, quam in privata celeberrimi Viri praxi exercendae artis feci periculum.

Scientias vero medicas acquirendi causa anno 1796 Hauniam me contuli, ubi Icholas virorum clarissimorum frequentavi. *Todium* therapiam specialem et generalem, materiam medicam, pathologiam et semioticam docentem audiui. *B. Aasheimio* in medicina forensi; *Callisenio* in chirurgia et medicina forensi; *Winsloewio* in anatomia; *Schumachero* in anatomia et botanica; *Mantheyo* in chemia; h. denique *Saxtorphio* in arte obstetricia et anatomia praeceptoribus usus sum. Praeterea Chirurgorum praestantium institutione sum gauisus, *Giesemanni* in chirurgia et praxi militari; *Skieldrupi* in practica artis obstetriciae parte, physiologia, pathologia et anatomia; *Posselti* in doctrina de morbis ossium et chemia; *Colsmani* in applicatione fasciarum; nec non *Henriquesii* in applicatione fasciarum et chirurgia manuali: cuius etiam viri auspiciis in dissectionibus et operationibus chirurgicis in cadaveribus perficiendis sum versatus. Chirurgiam et Medicinam practicam intuendi felicissimam mihi opportunitatem praebuerunt nosocomia, tam ciuicum, ubi duce *Jacobsenio* morborum decursum obseruavi, quam Fridericianum, ubi *Schumacherum* morbos externos tractantem, et *Bangium* quoque ad aegrotorum lectos sum secutus. In nosodochio puerperarum regio praestantissimam inueni occasionem artem obstetriciam duce amplissimo *Sylv. Saxtorphio* perdiscendi, partus naturales et praeternaturales observandi iisdemque opitulandi,

nec non morbos infantum et mulierum tractandi.

Renuntiatus est *Doctor Medicinae et Chirurgiae* d. XIII. Dec. 1800 post exhibitam dissertationem inauguralem *de Rheumatismo chronico*.

---

Hoc quoque tempore examen aut medicum aut medico-chirurgicum subierunt

Joh. Christianus Eduardus *Fabricius* Hauenienfis.

Pet. Frider. *Paulsen* Hufumensis.

Jo. Em. *Pfefferkorn* Hachenburgo-Westphalus.

Frid. *Jansen* Tonningensis.

Nicol. *Johannsen* Flensburgensis.

Pet. Carolus *de Coutouly* Francogallus Pictaviensis

qui laurea doctorali, quam dicunt, digni iudicati sunt candidati, quorumque vitas una cum speciminum inauguralium indicibus suo tempore euulgabit successor meus, mei amantissimus *Fischerus*, cui, permisso *Regio* iter sanitatis gratia fulciens, Decani munus tradidi d. XIV. Maii MDCCCI.

---

